

Le cardinal de Verone a Bellarmin.

Mai 1599

/ ... Delectavit etiam mirum in modum humilitas, quae in tota illa tua epistola
 elucet, virtutum omnium quae in christiana pietate continentur, fundamentum. Hanc
 exprimis tu Cardinalis optime, Vir Dei, in tua gratissima et suavissima epistola
 illis verbis: "Quid hoc est? verene Robertus Bellarminus Jesuita, alumnus clientu-
 5 lus, servulus amplissimi Cardinalis Veronensis, aedes domini sui nunc inhabitat?"
 Miraris, serve Dei, qui nobilem Jesuitarum Religionem annis multis ornasti, qui mul-
 tiplicem et egregiam doctrinam pulcherrimis tuis libris ostendisti, qui multis erro-
 ribus Ecclesiam Dei in exteris provinciis purgasti, qui magnam in Ecclesia Dei pie-
 tatis et doctrinae famam es consequutus, quod tibi delati sunt illi honores qui
 10 doctissimis viris et praestantissimis virtutibus praeditis debentur? Nimirum humi-
 litas tua admirationem hujusmodi peperit. "Quid hoc est?" Hoc est praemium virtu-
 tum tuarum; hoc testimonium excellentis doctrinae tuae; hoc indicium iudicii Cle-
 mentis Octavi Christi Vicarii; hoc ornamentum Sacri Collegii; haec excitatio ad la-
 bores omnes perferendos pro instruendo populo Dei; haec bonorum virorum virtutum
 15 amantium laetitia. Nominas te alumnus, clientem, et servulum Veronensis Cardinalis,
 qui doctrinam tuam novit optime, et est admiratus; qui iudicium acerrimum tuum sem-
 per maximi fecit; qui quaecumque scripsit, ut non ignoras, tibi legenda et corri-
 genda tradidit....

20 Fragment rapporte par de card. Pierre Valier. Summarium p.89 s. Bartoli, Vita,
 l.II,c.V,p.155.